

ne surculus quidem illius in horto Dei toleratus et relictus sit: siquidem Dominus dixit Matth. XV. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis transplantabitur.* Transplantata vero in silvestrem agrum, de ficu degeneravit in sycomotorum, cujus fructus uti non maturescunt nisi radantur cultro: sic et fœtus Adæ, utpote silvestres, Deo non placebant nisi cultro circumcisionis, nec placent etiam nisi abluti aqua baptismali. Denique, hinc monemur ut grati simus Deo, qui non solum creavit nos, ut essemus incolæ paradisi et cives cœli; sed etiam inde culpa nostra lapsos reparavit et restituit per Filium suum. Quam ergo non vult Deus mortem nostram, quia ad vitam nos creavit et extinctos recreavit? Speciatim vero Dei Filio, qui tam difficili medio deperditam nobis restituit rem?

Denique, ipsi etiam Dei Matri, quæ facta est nobis quasi navis institoris de longe portans panem, famelicæ scilicet et obsessæ mundo. Navis hæc hodierna die compacta fuit; in festo nativitatæ Mariæ primum in mare jacta fuit: in festo annuntiationis, pane cœlesti onerata fuit: in festo nativitatæ Christi, panem illum in domo panis, scilicet Bethlehem, exoneravit et nobis præbuit. Quare nunc aliter loquendum ac Job locutus est, dicendumque: O felix dies, o optata dies, o desiderata dies, o nox beata! Nulla sit stella quæ hodie non luceat; nulla avis quæ hodie non cantet; nullum animal quod hodie non sit vocale; nulla campana, quæ hodie non sonet; nullum instrumentum musicum, quod non suavissimum edat melos, etc. Ipsam nunc rogemus ut etiam in cœlo possimus hoc pane frui.

## CONCIO III.

PRIVILEGIA DEIPARÆ SIVE STELLÆ DUODECIM,  
QUIBUS A FILIO CORONATA.

- I. Sanctificatio in utero. — II. Extinctio fomitis. — III. Usus rationis in utero matris. — IV. Immunitas a peccato actuali. — V. Impeccabilitas. — VI. Splendor virtutum in conceptione. — VII. Conceptus prodigiosus. — VIII. Uterus absque onere. — IX. Partus sine dolore. — X. Virginitas cum fecunditate. — XI. Incorruptio post mortem. XII. — Resuscitatio post triduum.

## THEMA.

*In capite ejus corona stellarum duodecim.*  
Apocal. XII.

Mirum aliquibus videtur, hæreticis vero et stultum, quod festum conceptionis Deiparæ solemniter et gaudio celebremus in Ecclesia. Cum enim

mortales omnes concipiantur in peccato originali, adeoque sub maledictione divina, et præterea ad innumeras miseras, quæ inde consequuntur, quo gaudio celebrari potest hominis conceptio? Audimus S. Davidem, Psalm. L. dicentem: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*: audimus S. Job suæ conceptioni irascentem, cap. III. *Pereat, inquit, dies, in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo.* Nec defuerunt populi, (uti Thraces, Caucasiani, Jeta) qui perperua luxerunt, funera plausu prosecuti. Edito enim infante, propinqui circumsedentes cum ploratu commemorabant, quantum calamitatum illi foret perferendum, vitam ingresso: contra defunctum hominem cum lusu lætitiæ efferebant, recensentes quam multis malis subductus esset. Verum utcumque se ista habeant, neminem, auditores, diem hunc conceptionis Matris Dei sacrum et nobis jucundum ac festivum esse, magna siquidem differentia est inter hujus Virginis conceptum et mortalium cæterorum, qui ad plurimas miseras concipiuntur et nascuntur, a quibus illa exempta fuit. Ille tenebræ, hic lux: ille nox, hic dies jure vocari possunt. Certe S. Joannes, Apoc. XII. Deiparam non tenebris, sed luce circumfussam vidit, cum ait: *Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus et in capite ejus coronam stellarum duodecim.* Quæ duodenæ stellæ totidem privilegia denotant, quibus a communi generis humani maledicto, majori ex parte exempta fuit, quasi duodecim gemmæ coronam Virgini facientes, quas nunc exponemus.

I. Est sanctificatio in utero; et quidem juxta communioem nostræ ætatis sententiam, in primo conceptionis instanti, ita ut a peccato originali prorsus exempta et præservata fuerit. Cæteri mortales omnes (paucissimis exceptis) nati sunt et nascuntur in peccato originali, destituti veste gratiæ Dei, quemadmodum Job de se et omnium nomine testatur, cap. I. *Nudus egressus sum de utero matris meæ.* Nudus scilicet corpore et anima: corpus absque veste venit, anima absque gratia. Et vero de priore nuditate non erubuerunt primi nostri parentes, nisi postquam accessit altera, tunc enim se texerunt et abdiderunt. Itaque peccatum et animæ despoliatio confusionem illis attulit. Non decuit ergo Deiparam cum hac nuditate nasci, unde coram Deo confunderetur, cujus mater esse debebat; non decuit cœli regem palatium macula fœdatum. Et si Jeremias propheta in utero matris sanctificatus est, ut habetur Jer. I. similiter et Joannes Baptista, excommunicati patrum sententia, unde a S. Gregorio, in Job. II. dicitur: *Renatus antequam esset natus,*

cur hoc privilegium Deiparæ negabimus? Imo hinc colligitur majus privilegium fuisse datum Mariæ, quandoquidem et ipsa major longe fuit Joanne et Jeremia. Quare nostri ævi doctores sentiunt communiter peccatum originale nunquam ei adhæsisse, idque jure merito, non enim decuit, ut pontifex impollutus et segregatus a peccatoribus matrem haberet pollutam et peccatricem, etiam quæ aliquando talis fuerit; non decuit ut Deus fieret ejus filius, quæ aliquando subjecta fuit dæmoni; non decuit ut Virgo præservata ab actualibus peccatis, subjaceret originali, quod gravius actuali non immerito videtur. Quare sicut Rebecca, conspecta Isaac sponso suo pallio se operuit, ne minus reverenter cooperta ei obviaret, Gen. XXI. ita decuit, ut Deipara, Filio Dei ab æterno præparata ab eoque conspecta priusquam conciperetur, nequaquam nuda, sed gratia Dei vestita eidem obviaret. Et licet pro omnibus lata sit lex moriendi, per peccatum originale, non tamen pro Esthere nostra Maria, Esther. XV.

II. Extinctio fomitis seu concupiscentiæ, quæ aliud non est nisi rebellio carnis adversus spiritum. Ita sentiunt omnes theologii. Pulchre Richardus Victorinus, lib. II. de Emmanuele, cap. XXIX. in hunc sensum explicat id Psal. XLV. *Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ. Quæ est, inquit, terra ista de qua bella omnia finitenuis auferuntur, nisi illa de qua idem propheta: Veritas de terra orta est? De hac terra omnis pugna tollitur, pax plena reparatur.* Adam certe et Eva post peccatum senserunt mox rebellionem istam, ideoque de ea confusi absconderunt se et texerunt foliis ficuum. Inde ad nos omnis languor et iis illa propagata est; unde boni et pudici omnes gemunt et erubescunt. Annon decuit Dei Matrem labe hac aspergi; ideoque in talis confusione coram Filio suo apparere, etsane si originale peccatum ab illa excludimus, cur non ejus fœtum, concupiscentiam: Sara videns Ismaelem filium Agar ludentem, (id est rixantem et pugnantem, ut explicat apostolus ad Gal. IV.) cum Isaac filio suo, dicebat marito: *Ejice ancillam cum filio ejus*, Gen. XXI. Quando igitur Deus ejecit e domo interna Virginis ancillam, originale peccatum; cur non filium ejus, fomitem, qui sequentes lites et rixas contra spiritum excitare solet? Decuit sane ut in Matre Dei talis esset harmonia corporis et animæ, ut dignum, quietum et jucundum fieret Dei habitaculum: si enim principes sæculares non patiuntur in suis penetralibus, strepitus, rixas, immunditiam aut indecoram structuram, cur in suo conclave animato non idem faciat Deus: *Decebat sane,* inquit Cyrillus Hierosolymitanus,

catechesi XII. *ut purissimus puritatis doctor ex thalamis puris prodiret.*

III. Lumen intellectus perfectum etiam in ipsa adhuc matris utero; ita ut caruerit ignorantia decipiente seu pravæ dispositionis, non tamen ignorantia puræ negationis; cujusmodi fuit illa, qua existimabat Christum in triduo perditum, esse in comitatu, (prudenter enim et probabiliter hoc existimabat sine assensu firmo; quod non est decipi). Nos reliqui mortales et nascimur ignorantes, et tarde admodum sapimus, et postquam adolevimus, sæpissime decipimur et cæcitiæ sæpe in meridie. Procul fuit a Deipara talis ignorantia, etiam in matris utero, ex communi doctorum sententia. Sic enim Joanni Baptistæ datus fuit usus rationis adhuc clauso in matris utero, ut Christum præsentem agnosceret et saluaret, quanto magis Deiparæ? uti argumentatur D. Ambrosius. lib. II. in Luc. et S. Bernardus, epist. CLXXIV. Dionys. Carthus. lib. de laud. Virg. a XII. tom. op. min.

IV. Immunitas ab omni peccato actuali etiam veniali. De qua enim alia quæso, dicit sponsus Cant. II. *Sicut lilium inter spinas sic amica mea*: et Cant. IV. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*, si non de hac sponsa sua Deiparæ? Quæ enim alia femina talis aliquando fuisse monstratur? Et si aliqua talis fuit; cur non et Maria? Deinde, Ecclesiam id de ipsa tenere affirmat Concilium Trident. ses. VI. can. XXIII. Ad stipulantur sancti patres: S. Augustin. qui in libro de natura et gratia, cap. XXXVI. nullam prorsus quæstionem habere se velle ait de S. Virgine Maria, cum de peccatis agitur: similiter S. Bernardus, S. Bonaventura, S. Ambrosius, S. Ephrem et alii: denique, id confirmare videtur angelus, qui eam gratia plenam appellavit. Nos quidem cæteri mortales dum in luto hujus mundi ambulamus, sine inquinamento non transimus; sed in multis offendimus omnes. Quemadmodum enim citharæ plurimarum chordarum, diu retinere nequit suam temperaturam, quin una alterave chorda laxetur et discordet: ita etiam nos ob perpetuos concupiscentiæ motus ad peccatum allicientes diu vivere nequimus, quin subinde impingamus. Deiparam vero ab hac miseria exemptam esse decuit, quia si aliquando peccasset, non fuisset Dei, qui omne peccatum extirpaturus venit, idonea mater, et ab hac in Filium redundasset ex parte ignominia.

V. Impeccabilitas seu confirmatio talis in gratia, ut ne venialiter quidem peccare posset. Ita consentiunt doctores et Ecclesia, quæ Deiparæ conceptionem et nativitatem celebrat, arbitratæ eam tunc habuisse sanctitatem, quæ non poterat

amitti. Hanc Virginis impeccabilitatem ligna Sethim ob impubertatem tantopere celebrata significabant, ex quibus constabant arca fœderis et mensa panis, Exod. XXV. quæ virginem adumbrabant. Longe absimus nos ab hac impubertate et firmitate. Confitemur, proponimus constituimus et pene vomemus: vix tamen locum deserimus et contrarium sentimus, loquimur, facimus. Quandoque lacrymis uberrimis deflemus peccata nostra, quasi nunquam ad ea redituri, sed duramus brevi tempore. *Dixi*, inquit David Ps. XXIX. *in abundantia mea: Non movebor in æternum*. Sed quid? *Avertisti faciem tuam*; subdit: *Et factus sum conturbatus*. Exemplo sit Petrus qui tam firmiter proposuit non negare Christum, paulo tamen post negavit. Non decuit Deiparam tali febre laborare. Et quid mirum? Deum intra se tenere habebat, et quomodo ab eo non undique vallaretur, ne quo pede labi posset? Unde quod de civitate Dei ait David, Psal. XLV. *Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo*. De hac mystica ejus civitate recte intelligitur, quod videlicet initio statim conceptionis suæ adjuta sit a Deo, ut peccare non posset, adeoque in ipsa Deus ejusque gratia ne commoveri quidem seu nutare.

VI. Splendor omnium virtutum in ipsa conceptione ei collatus, ex communi dd. sententia. Nos et concipimur et nascimur nudi et destituti omnibus virtutibus, quin et multo tempore indigemus, donec excolamur et virtutes acquiramus, quod pauci multo licet labore ante adultam ætatem obtinent. Hinc ad vitia prona, ad virtutes ignavi et difficiles sumus, et fere minis et verberibus compelli debemus. Non decuit ut in Maria, quæ Dei nutrix et ministra futura esset, hoc tam grave vulnus esset: sed potius ut dotaretur omnibus virtutibus, quemadmodum domus regia omnibus ornamentis instructa esse debet, uti et ipsa sponsa regis. Prioris exemplum videre est in tabernaculo illo, quod cum Deus sibi fieri præcepisset, ut in eo habitaret, jussit in ejus structuram et ornamentum comportari aurum, argentum, coccum, byssum, aromata, gemmas, etc. Exod. XXV. factoque opere reposita est ibi arca fœderis. Fuit autem sanctuarium illud typus Virginis, in qua arca fœderis inter Deum et homines, Christus, sedem suam positurus erat. Posterioris exemplum habemus in Esther, quæ cum ad regem Assuerum adducenda esset, præcepit rex eunucho ut acceleraret mundum muliebrem, et traderet ei partes suas, et septem puellas speciosissimas de domo regis, Esth. II. En tibi et hic figuram Deiparæ, cujus ornamentum accelerari præcepit Deus in ipsa ejus conceptione. Erat autem ornatus

omnis generis virtutum et septem donorum Spiritus sancti.

VII. Conceptus prodigiosus, quo Spiritus sancti obumbratione, sine viri opera concepit Salvatorem, id quod nulli unquam femine concessum. Præter expressum Scripturæ testimonium, vaticinia et figuras, indicatur hoc Cantic. II. ubi Christus sponsus ait: *Ego flos campi et lilium convallium*, (hæc enim verba sponso tribuenda, communior est sententia Theod. Greg. Bern. Bedæ). Dicitur autem flos campi, quia nulla viri opera, sed cœlestis tantum virtus et influxus Spiritus sancti florem hunc e terra virginea produxit. Audi Sanctum Bernardum, serm. XLVII. in Cantic. « Hortus, inquit, ut floreat, hominum manu et arte excolitur; campus vero ex seipso producit flores absque omni humanæ diligentia adjutorio. Putasne tibi jam videris advertere, quisnam ille sit campus, nec sulcatus vomere, nec defossus surculo, nec manu hominis seminatus, venustatus tamen nihilominus nobili illo flore, super quem constat requiesse spiritum Domini? » Hæc Bernardus. Itaque cæteri mortales sunt velut flores hortorum, qui proveniunt ex cultura humana; Christus flos campi; cæteri parentes hortuli sunt; Maria campus est; cæteræ femine concipiunt cum pudore quasi hortus clausus; Maria velut campus apertus concepit sine pudore.

VIII. Uterus sine tædio et onere gestatus; quod certe non contingit aliis mulieribus. Testantur id de Virgine, S. Ber. serm. super *Signum magnum*! Fulgentius, in serm. de laudibus Deiparæ. Colligitque id Ludolphus in vita Christi ex eo, quod partui vicina cum Josepho perrexit in Bethlehem. Inducatur id ab Isaia, c. XIX. ubi ait: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum*. « Significat, quod in Ægyptum, id est, in afflictionem istam mundi hujus veniret per Virginem. Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat levem, quia virgo erat nullis oneribus gravata conjugii, » inquit S. Ambrosius, in exhortat. ad virgines. Et similiter fer S. Hieronymus in illum Isai. locum. « Ut ergo nubes in aere volans sine onere gestat pluviam suo tempore effundendam, ita gestavit Christum et Deipara. » Causam reddit S. Bern. serm. in assumpt. Virginis, super *Signum magnum*, cum ait: « Jure etiam illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes gravidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde etiam in ipso suæ conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabilibus affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit ut Elisabethæ minis-

traret. Sed et ascendit in Bethlehem imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve a quo portabatur. » Sic Bernardus.

IX. Partus sine dolore et sordibus, ut pro certo tenet Ecclesia et colligitur ex eo contra Calvinistas, quod statim ac peperit filium suum, ipsa eum pannis involvit et reclinavit in præsepio, quod sane matres aliæ nec faciunt, nec facere possunt. Accedit quod non vulgari modo, sed clauso matris utero natus esse constanter ab Ecclesia creditur, ut mox dicemus: Et quid mirum? A dolore exemptam fuisse in partu, quæ voluptate et libidine caruit in conceptu? Cæteris quidem matribus compensatur mel conceptus felle partus. At hic nullum ejusmodi mel præcessit; cur ergo fel sequatur.

X. Virginitas illibata cum fœcunditate conservata, quod de fide est in Ecclesia, et satis indicatur ab archangelo, Mariam videlicet sine virginitatis damno Christum parituram. Quod ut maxime mirandum, ita jure merito factum scribit D. Gregorius Nyssenus, orat. in natalem Domini: « O rem mirandam, inquit, virgo mater efficitur et permanet virgo. Cernis novum naturæ ordinem? In aliis mulieribus, quamdiu aliqua est virgo, non est mater; hic autem utrumque nomen in idem concurrat, eadem enim et mater et virgo est. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit. Decebat enim ut qui in vitam humanam introibat, homines integros incorruptosque servaret, et ab incorrupta sibi serviente integritate initium duceret. » Clauso igitur matris utero Christum egressum esse, qui clausis ingressus est januis, sentit et credit Ecclesia. Modum requiris? Indicat Isaia, cap. LXII. cum ait: *Donec egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur*. Ut enim splendor prodit ex sole, absque ulla solaris corporis corruptione, et lampas ex admoto igne etiam absque ulla luminis, quod in igne est, jactura, detrimentoque accenditur; ita Christus ex virgine instar splendoris conservata virginis integritate exortus est, et instar lampadis, absque ullo virginei splendoris detrimento, virtute Altissimi accensus apparuit.

XI. Incorruptio post mortem. Cæteris omnibus dictum est: *Pulvis es et in pulverem reverteris*, sed ab hac etiam maledictione exempta fuit Deipara, juxta totius Ecclesiæ sententiam. Cujus rationem affert auctor, ser. de assumpt. apud Augustinum, tom. IX. « Si Christus, inquit, voluit integram Matrem a virginitatis servare pudore, cur non velit incorruptam a putredinis servare fœtore? Item sacratissimum corpus, de quo Christus car-

nem assumpsit et divinam naturam humanæ univit, escam vermibus traditum in communi sorde putredinis, et futurum de vermibus pulverem, quia sentire non valeo dicere pertimesco. » Scimus arcam fœderis fuisse typum Virginis: arca vero illa statuta in templo Dagon mansit integra, sed Dagon coram illa concidit, quid mirum si et corpus Virginis illatum in sepulcrum, mortem ipsam domuit et longe a se arcuit? Arca ex lignis impubertibus facta erat, ut habent Septuaginta interpretes, Exod. XXV. occur non et matrem suam Christus a putredine servasset?

XII. Resuscitatio et glorificatio ante communem resurrectionem, quemadmodum alibi ostendimus. Quod etiam privilegium merito ei impensum est, siquidem Augustus solet Augustæ suæ concedere ea privilegia quibus ipse gaudet, Ulpian. lege princeps, ff. de legibus; Christus autem tertio die a mortuis surrexit. Congruenter ergo et matri idem hoc impendit, quemadmodum contigisse tradit historia, quæ corpus ejus tertio die, reserato sepulcro non esse inventum scribit, ut alibi vidimus. Itaque impletum est illud Psal. *Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ*. Arca diviso Jordane transit in terram promissam; similiter mortis impetus omnia secum in mare mortuum abripiens inhibitus est, cum arca ista transit in terram viventium.

Superest nunc, ut reginam nostram tot gemmis coronatam debitis officiis veneremur, et arcam hanc tot privilegiis dotatam, in nostra peregrinatione comitem nobis adjungamus et nunquam deseramus. Sane quando arca illa Jordanem ingrediens divisit, quamdiu in alveo Jordanis stetit, tandiu cohibitis aquis Hebræi sicco pede transierunt: similiter et nos per mortis et judicii vadum (significat Jordan fluvium judicii) sine metu ac damno transibimus, si præsidium Deiparæ habeamus. Monebat ibi præco, ut præcedentem arcam omnes sequerentur: *Ite post eam*, dicebat (ut habet Hebr. Chald. et Græcus textus) *sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duorum millium, ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulastis per eam, et cavete ne appropinquetis ad arcam*, Jos. III. Idem hoc vobis, auditores, dictum existimate. Ite post Deiparam, cultu, obsequio et vitæ conversatione: et sit inter vos et illam spatium magnum, comparisonem vestræ humilitatis cum tanta Virginis gloria: nolite appropinquare ei, seu illam offendendo, seu vobis comparando, ut possitis ejus præsidio et ductu secure transire mortis viam, per quam prius nunquam ambulastis.

## CONCIO IV.

GEMMAE DUODECIM QUIBUS DEIPARA CORONAVIT FILIUM.

I. Religio. — II. Votum virginitatis. — III. Obedientia. — IV. Humilitas. — V. Paupertas. — VI. Amor. — VII. Compassio. — VIII. Studium verbi divini. — IX. Obsequium. — X. Patientia. — XI. Fortitudo. — XII. Perseverantia.

## THEMA.

*Egredimini et videte filia Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis. Cant. III.*

Solent principes personæ mutuis muneribus se invicem honorare; ut videre est in regina Saba, quæ veniens ad Salomonem obtulit ei aurum, aromata et gemmas pretiosas: et vicissim a Salomone munus regium accepit, III. Reg. X. Plusquam reginæ personæ sunt Christus et Deipara, Filius et Mater. Illum per Salomonem, hanc per reginam Saba fuisse præfiguratum, facile intelligimus. Ergone sine muneribus mutuo conveniant in die desponsationis suæ, tantus filius et tanta mater? Non sane. Vidimus alibi coronatam a Filio matrem duodecim privilegiorum stellis; mater ut vicem rependeret, totidem ei gemmas obtulit in coronam duodecim videlicet specialia obsequia quæ Filio exhibuit; ut ita impleretur, quod Cantic. III. dicitur: *Egredimini et videte filia Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua.* Adstipulatur huic rei Joannes, Apoc. XII. vidit coronatam matrem stellis duodecim, et cap. XIV. vidit coronatum filium. Hujus igitur coronam nunc intueamur.

I. Est religio qua se in tenera ætate, triennis videlicet Deo adeoque Christo etiam obtulit, cum in templum præsentata fuit, in obsequium perpetuum. Plurimum per hoc contulit ad gloriam Christi Domini. Decuit enim ipsum talem habere matrem quæ mundi illecebras nesciret, et Dei cultui ab infantia addicta esset: decuit in templo educari eam, quæ templum Dei viventis esse debebat: decuit vas illud, quod Deum excepturum erat, Deo statim sacrari, nunquam profanari. Per hanc itaque oblationem consecravit se in templum Filio Dei et suo. Numquid hæc non gemma est coronando Christo?

II. Votum virginitatis, quod edidit in templo cum se Deo consecravit, ex communiori sententia, ut habent D. Hieronymus, de ortu Virginis, D. Gregorius Nyssenus, orat. de nativitate, et Nicephorus, libro, I. c. VII. cum enim non ignoraret virginitatem voto constabilitam, gratiorem esse Deo, adeoque majus donum, quam sit virginitas voti expers (quemadmodum majus et præstan-

## CONCIO IV.

tius domum est, si quis arborem una cum fructibus, quam si solos fructus donet) non dubium quin Virgo, ut cælesti sponso gratior et dignior esset, voto se obstrinxerit. Multum etiam hoc faciebat ad Christi gloriam; si videlicet matrem haberet virginem, qui Virgo erat futurus: et si talem quidem virginem, quæ virum omnino nesciret, nullique viro misceri posset, haberet is, qui nullam omnino impuritatem in se admittere poterat. «Deum, enim, inquit S. Bernardus, homil. II. super Missus est, hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de virgine nasceretur.» Et sicut de altera Maria dictum est, inquit S. Idelfonsus, serm. V. de assumptione, ista optimam partem legit; quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit, et ideo pro meritis ut Dei Filius angelo annuntiante ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet.»

III. Obedientia seu conformatio cum Dei et Christi filii sui voluntate: quam ostendit imprimis, cum se ex parentum et sapientum consilio desponsari passa est viro, tametsi votum castitatis haberet, idque tam firmum, ut ne angelo quidem filium, et talem ac tantum filium promittente, propositum mutaret. Quamquam vero sciebat S. Josephum virginitatem secum pariter servaturum, nihilominus tamen ex vi conjugii viro, quo erat longe sanctior et sapientior, se submittere et regendam tradere omniaque ejus arbitrio facere debebat: quod in aliis mulieribus, quæ sobolis suscipiendæ gratia matrimonium ineunt, mirandum non est. Cum ergo hæc desponsatio ad honorem Christi tenderet, ut ne infami loco natus putaretur, et ut ortus ejus celaretur diabolo, sanctissima Virgo præclaram Christi capiti gemmam inseruit; dum se in hoc ejus voluntati conformavit; quemadmodum et in aliis omnibus suis actionibus, veluti, cum assensit Filio Dei ut Mater ejus fieret. Quantum enim hoc placuisse putamus Filio? Rursum cum in nuptiis Canæ Filii voluntati statim acquievit, etc.

IV. Humilitas et abjectio, qua se in ancillam obtulit Filio Dei, cujus mater eligebatur. Hinc enim supra modum illustravit Christi gloriam, veluti si regina opulentissimam ante pedes imperatoris se abjiceret, cupiens ancilla ejus fieri. Hinc enim diceremus nos: Quantus esse is imperator debet? Prædicabatur virgo ab angelo gratia plena, benedicta inter mulieres, Deique future mater; et inter hæc tamen ipsa ait: *Ecce ancilla Domini.* Quantus ille Dominus, qui talem habet ancillam, cui mater et regina tanta tam profundam exhibuit submissionem? Assueri majestas patuit, cum Esther regina, gloria et majestate ejus territa coram eo corruit: sic innotescit gloria

## IN FESTO CONCEPTIONIS B. M. V.

Christi, cum regina cæli coram eo quasi corruens, ancillam ejus se vocat.

V. Paupertas, quam cum Christo et propter Christum æquissimo animo tulit in patrio et peregrino solo. Hanc enim colligere licet ex sordenti stabulo, in quo filium est enixa: et ex vili præsepio, in quo eum pannis involutum, quia non erat ei locus in diversorio, reclinare coacta est: *Et hoc ipsum præsepium* (inquit S. Bernardus, in speculo evangelici sermonis) *a brutis animalibus nutuo accepit.* In eodem deinceps stabulo ad præscriptum usque purificationis tempus per dies quadraginta est commorata; cujus rei argumento est quod post dies tredecim, teste Hieron. epist. XVII. et XXVII. et aliis, in eadem spelunca a magis fuerit inventa cum Filio. Porro hanc paupertatem, per Christum filium, quem nutrire debuit, accrevisse, facile intelligitur. Quando igitur eam pro Filio et cum Filio æquissimo animo tulit, quomodo non eum præclara gemma insignivit? Quanti æstimare virum suum Thuringiæ duces S. Elisabetha, ea ratione ostendit, cum dixit se paratam fore cum ipso extremam paupertatem ferre et (si ita contineret) stipem etiam colligere, Rader. in Bav. s. part. I. *Hinc nos colligamus quanti æstimavit Filium suum Deipara quæ ipsius gratia paupertatem maximam perlibenter toleravit.*

VI. Amor, quo complexa est Filium imprimis quando in Ægyptum fugiens eum a furore Herodis abscondit. Quis enim explicare poterit modos et rationes, quas excogitavit et adhibuit ad occultandum Filium, donec Herodis ditio excederet? Si enim aviculæ tanta industria componunt et tuentur nidos suos contra aucupes aliosque insidiatores: quid fecisse putamus in periculo illo Deiparam, quæ non solum naturali, sed et acquisito et supernaturali amore Filium diligebat? Quid vero gratius amatissimo Filio potuit mater rependere, quam reciprocum amorem?

VII. Compassio et dolores, quos cum Filio et Filii gratia sustinuit, imprimis quando cum perditum triduo requisivit: *Pater tuus et ego,* inquit, *dolentes quærebamus te,* Luc. II. rursum quando ei crucifixo adstitit. Qui dolores acerbissimi quomodo non maximum apud Christum habere momentum potuerunt? Si enim summa miseria est afflicto, non habere qui compatiatur, quemadmodum in passione sua Christus conqueritur, Ps. LXVIII. *Sustinui, qui simul contristaretur, et non iuveni;* summa vicissim consolatio et sublevatio est afflicto, habere compatiensem.

VIII. Studium verbi divini, quod ex Filii ore avidissime hauriebat, et studiosissime conservabat, ut suo tempore apostolis alisque recenseret, litteris commendandum. Hoc autem tam est gra-

tum Christo, ut Lucæ VIII. dixerit: *Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt.* Duplici igitur titulo mater Christi dici potest quia scilicet eum in utero suo corporaliter genuit, et spiritualiter in animis audientium, quod ipsa, quia Christo jugiter adhæsit, et aures loquenti præbuit, præ cæteris sanctis copiosius præstitit. *Hinc in ejus laudibus* inquit S. Bernard. tom. II. in serm. de B. Virgine, *legitur, multæ filia congregaverunt divitias, tu supergressa es universas, etc.* Insignem igitur gemmam diademati Christi inseruit, quæ omnia ejus verba conservabat conferens in corde suo, tempore pareret.

IX. Obsequium et servitus continua, quam Filio exhibuit, gestando eum in utero, jactando, infasciando, enutriendo, vestiendo, tuendo, etc. «Absque dubio, inquit Sanct. August. lib. de assumptione, omni opere ministratrix extitit, quæ hunc in utero gessit, partuque profusum aluit et fovit, in præsepio reclinavit et a facie Herodis in Ægyptum fugiens abscondit, et omnem infantiam ejus matris affectu ita prosecuta est, ut usque ad crucem, in qua Filium jam virum perfectum vidit pendentem, ab ejus indubitanter ministerio non recesserit: consecuta non solum gressibus pedum tamquam pro amore Filii, verum etiam imitatione morum, tamquam pro reverentia Dei.» Hæc Augustinus. Quod si parentum obsequia in liberos tanta sunt, Aristotele auctore, ut nullis horum officiis compensari possint; pensate, auditores, an hæc obsequia matris non instar gemmæ fuerint Filio?

X. Patientia. Quidquid enim contumeliarum, quidquid irrisionum ac tormentorum integro Dominicæ prædicationis triennio, toto passionis ejusdem tempore a Judæis, ab Herodis Pilatique militibus, tum verbis tum factis, ea præsertim vivente ac vidente, Christo ejus Filio est irrogatum, id omne non tantum Virginis matris animum acerrime sauciavit; verum in ejus quoque maximum contemptum cessit. Illa enim in Christi faciem jalecta convicia et blasphemie: illa in sanctissimum vultum conjecta sputa, impacti colaphi; illa exprobrantium opprobria ac diversa illusionum genera in domo Caiphæ, Herodis, Pilati obita; quod Barabbæ postpositus; quod communi totius populi insanoque clamore ad crucis patibulum postulatus; quod flagris atrocissime toto corpore proscissus; quod in affectati regni speciem regis insignibus per deridiculum ab universa cohorte illusus ac spinea corona capite redimitus; quod crucem suis ipse humeris bajulaverit; quod in medio latronum veluti eorum princeps in ipsa cruce per summam ignominiam suffixus obierit, id omne, ut diximus in maximum Virginis etiam

matris, quæ stabat juxta crucem, opprobrium et humiliationem recidebat. Præsertim quia interdum eam perstringebant, Christo familiæ paupertatem obijcetes, et quasi per contemptum dicentes illud Marci VI. *Unde huic hæc omnia: nonne hic est faber, et filius Mariæ?* et mox: *Et scandalizabantur in eo:* quæ tamen omnia ipsa non minus humiliter quam patienter æquo animo ferebat. Sciebant sane Judæi, ipsam ex regia David progenie oriundam: siquidem et cæci Christum filium David proclamabant: nihilominus ob ejus paupertatem, tam abjecte de ea loquebantur et sentiebant. Dum ergo hæc tam amara (ut taceam ejus labores, itinera, sollicitudines) Filii causa devoravit, annon Filii gloriam magnopere illustravit?

XI. Fortitudo; quæ enituit potissimum, quando Virgo juxta crucem stetit: tunc enim acutissimum illum doloris gladium a Simeone, Luc. II. sibi prædictum, pectore suo exceperit, et ita fortiter, ut nihil egerit dignitati suæ personæ indecorum aut rationi dissonum: neque sensuum defectum aut perturbationem, nec quem vocant, spasmus passa est, (hæc enim inordinata commotio et tristitia derogaret excellentiæ Virginis) sed cum oris gravitate et animi moderatione dolorem illum miscuit, ut satis indicat Joannes, testis oculatus, cum refert eam juxta crucem Filii, non jacentem ut sedentem, sed stantem, quasi omnibus angustiis, animi magnitudine superiorem: *Stantem illam lego, flentem non lego*, inquit S. Ambrosius, in orat. in obitu Valentiniani: et de institut. virg. cap. VII. *Stabat ante crucem Mater et fugientibus viris stabat intrepida.* Neque enim erubuit crucem et ignominiam Christi, neque timuit Judæos et alios Christo insultantes, etiamsi mater esset ejus, quem tam hostili et pertinaci odio prosequerentur; quin publico ac conspicuo loco absque ulla animi dejectione juxta ejus crucem stetit parata, quidquid opis posset Filio præstare. Cum qui supplicio ultimo afficiuntur, ipsorum parentes, imo omnes propinqui impossibile sibi existimant, spectare illorum supplicium; unde plerumque alio discedunt: quemadmodum et Agar illa filium jam moriturum abjecit, et abiit dicens: *Non videbo morientem puerum*, Genes. XXI. At non ita Deipara, quæ proinde eximiam gemmam coronæ Filii inseruit, dum ita ei adstitit, et sane gratum fuisse Filio hoc matris obsequium, illud argumento est, quod Christus in tanta dolorum acerbitate curam ejus gessit, eamque discipulo commendavit: *Mulier, ecce filius tuus*, suppresso matris nomine, ne ei dolorem augetet.

XII. Perseverantia; quæ est coronis omnium virtutum; perseveravit autem cum Christo, usque

dum is in cruce moreretur et sepeliretur. Perseveravit deinde cum discipulis in oratione usque ad missionem Spiritus sancti, ut habetur Act. I. imo discipuli cum ipsa perseverabant (ut ibi legitur tamquam cum magistra orationis et perseverantiæ. Perseveravit denique cum Ecclesia per annos quindecim post ascensionem Christi velut abbatissa totius Ecclesiæ, usque dum a Christo evocaretur ad Ecclesiam triumphantem. Jam si hanc virtutem commendavit Christus in discipulis suis, qui tamen nondum usque ad crucem perstiterant cum ipso: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*, Luc. XXII. quomodo non multo magis commendare debuit in matre?

Vidimus ergo non immerito coronatam esse a Filio matrem stellis prærogatarum duodecim: siquidem et ipsa coronavit Filium gemmis obsequiorum duodecim. Superest nunc ut nos quoque, si coronari velimus a Christo, coronas contexamus pro modulo saltem nostro, ad coronandum Christum: *Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, inquit apostolus, II. ad Tim. II. Hæc igitur obsequia Virginis imitari studeamus, etc.

## CONCIO V.

## QUAM SIMILIS FILIO DEIPARA.

I In vultu et fortuna. — II. In mutuo consensu. — III. In conversatione: 1. In humilitate. 2 In obedientia. 3. In charitate. 4 In silentio. — IV. In tribulatione et passione. — V. In prærogativis multis.

## THEMA.

*Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* Prov. VIII.

Cum expendo mecum hodiernam genealogiam, in mentem mihi venit, quod Gen. c. II. legimus, Deum dixisse de Adamo: *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Quapropter adduxit Deus universa animantia ad Adam, ut videret quid vocaret ea: Adæ vero non inveniebatur simile. Solus erat Adam, nec poterat habere communionem cum creaturis, quod sibi non essent similes. Itaque creavit Deus Evam, quæ conspecta dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, quasi diceret: *Apage a me animantia prius adducta, quia mihi non sunt similia, atque ideo non placent.* Hæc mulier mihi simillima, est, ideoque perplacet, et hanc ego mihi quærebam. Hunc in modum Christus, tametsi coram se vidit omnis generis animalia, id

est, sanctos veteris testamenti, nullum tamen ex iis similem sibi invenit, donec ad Mariam venit, quæ velut altera Eva, simillima illi fuit. Hanc igitur elegit in matrem velut os ex ossibus suis, id est, sibi similem. Quam ob causam vocari eam voluit, *mulierem amictam sole*, quod videlicet Christum ipsum in vitæ conversatione repræsentavit. Et propterea Ecclesia in hodierna epistola applicat huic matri vestes filii ejus, id est, laudes et encomia, quæ ad litteram de sapientia æterna, id est, Filio Dei tantum scripta sunt a Salomone, Prov. VIII. Videamus ergo nunc quibus potissimum in rebus, et quam similis fuerit filio matri.

I. In vultu et fortuna seu bonis corporis et fortunæ. Quod attinet ad speciem et complexionem corporis, erat Christo simillima; ut imprimis testatur Nicephorus, libro I. hist. eccles. cap. XL. Qui cum descripsisset speciem Christi, subdit: *Persimilis denique per omnia fuit divinæ et immaculatæ suæ Genitrici*: deinde, Albertus Magnus, in libro de Beata Virgine apud Dionys. Carthus. lib. I. de laud. Virg. art. III. « Quemadmodum, inquit, corpus Christi, quod Deus supernaturaliter per seipsum formavit, est perfectissimum atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit secundum statum viæ, quod natura per se operans facere potest: ideo dicimus, quod si Christus fuit speciosus forma præ filiis hominum, sic virgo pulcherrima fuit inter filias hominum. » Confirmatur etiam hinc, quia inter genitum et generantem similitudo intercedit, ex aliquo impediatur accidente: cujusmodi nullum intervenisse patet non solum ex optima Virginis complexionem, sed etiam ex sapientissimi architecti, Spiritus sancti operatione. Et vero convenientissimum erat, ut filius hic assimilaretur matri, quo sciretur ejus filius et futuræ redarguerentur hæreses. Joseph assimilari non debuit, quia ejus filius non erat. Ad hæc sicut in Christi facie radiabat fulgor quidam et majestas divinitatis, qua ad sui amorem pertrahebat animos hominum, ut scribit Sanctus Hieronymus, super cap. IX. Matth. sic etiam in Deiparæ vultu supernaturalem quemdam splendorem radiasse, scribit Dionys. Carth. lib. I. de laud. Virg. c. XXXIX. si enim Moyses ex consortio Dei radiantem accepit vultum, quid mirum, si et mater Christi ex tot annorum conversatione? Quod attinet ad fortunam, non parva etiam similitudo cernitur. Imprimis enim facultates fuerunt omnino pares; mater erat pauperula, pauper et filius. Conditio non omnino impar; mater fuit sponsa fabri, filius patrem habuit fabrum, magnum, inquam, architectum universi. Ad hæc quemadmodum Christus a summo

cælo egressus, per omnes angelorum enoros descendit in terram, etiam infra homines, et factus est ex maximo minimus; ita suo modo Deipara ex regio Davidis stemmate paulatim per familias descendit ad statum humilem et pauperulum, ita ut ipsa fieret sponsa fabri, uti Christus filius fabri: rursum sicut Christus e summo gloriæ apice ad infimum descendit et propterea ad summum elevatus est: ita proportione servata, mater ejus a summa regum dignitate ad humillimam conditionem devenit, et hinc iterum ad summam, post Christum, cæli dignitatem ascendit.

II. In mutuo consensu et voluntatis conformitate. Etenim Deipara tam erat addicta Filio, tam conformis et consentiens, ut non posset magis. Quid enim sibi volunt illa ejus verba: *Ecce ancilla Domini?* Nonne illud ipsum, quod verba Abigaëlis (ad quæ videtur allusisse) postulata in uxorem a Davide, I. Reg. XXV. *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei?* Obtulit ergo se his verbis in ancillam, non solum Deo Patri, sed et Filio ejus, suo mox futuro ad serviendum ei per omnia. Quis autem dubitare potest oculos ancillæ hujus oculatissimæ; et quæ optime noverat Filii sui divinitatem, semper fuisse in manibus Filii velut Domini sui; ad Evam dixit Deus, Gen. III. *Ad virum conversio tua erit*, (juxta Chaldæum) id est, observent oculi tui viri propensionem, oculos et nutum. O quam accurate præstitit hoc Filio Deipara, quæ sciebat illum non solum esset Filium, sed et patrem ac creatorem suum! Verum igitur heliotropium exhibuit se Deipara, in omnibus actionibus conversa ad Filium suum veluti ad solem. Vultisne hoc videre? Audite loquentem Filio post triduum reperto, et alio tempore assidenti in nuptiis. Ibi enim percepto Filii responso: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Statim acquievit, licet hoc verbum non intellexerit, uti scribit Lucas, c. II. sed et Christus se conformavit voluntati matris: *Descendit enim cum illis, et erat subditus illis.* Hic vero audiens a Filio nondum venisse horam ejus ad miraculum patrandum, mox iterum acquievit, et mandavit famulis: *Quodcumque dixerit vobis, facite*, Joan. II. quasi certa de miraculo, tempus tantum opportunum lubeat expectari, donec Filio placeat vinum providere. Nullæ hic audiuntur replicæ et triplicæ, ut solet fieri in curiis: acquiescit mater Filio, et Filius matri. Descendit enim cum ea in Nazareth, et procurat vinum per miraculum. Dices, aliquid dissensionis videri intervenisse, siquidem duriuscule respondit Filius matri: *Quid mihi et tibi factum Filii matris approbavit totum; fecit enim mox,*